

est. Ecce mons implens universam faciem terrae : ecce civitas de qua dictum est : « Non potest civitas abscondi super montem constituta. » Illi autem offendunt in montem. Et cum eis dicitur : Ascendite, non est mons, dicunt ; et facilius illuc faciem impingunt, quam illic habitaculum quaerunt. Isaias hesternae die lectus est : quisquis vestrum vigilabat, non oculis tantum, sed aure, nec aure corporis, sed aure cordis, advertit : « Erit in novissimis diebus manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium. » Quid tam manifestum quam mons ? Sed sunt et montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt. Quis vestrum novit Olympum montem ? quomodo ibi qui habitant, Giddabam nostrum non norunt. In partibus sunt isti montes. Ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terrae ; et de illo dicitur : « Paratus in cacumine montium. » Mons est super cacumina omnium montium. « Et congregabuntur, inquit, ad eum omnes gentes. » Quis errat in hoc monte ? Quis frangit faciem offendendo in illum ? Quis ignorat civitatem super montem constitutam ? Sed nolite mirari quia ignoratur ab istis qui oderunt fratres : quia in tenebris ambulat, et nesciunt quo eant ; quia tenebrae excaecaverunt oculos eorum. Montem non vident : nolo mireris, oculos non habent. Unde oculos non habent ? Quia tenebrae excaecaverunt eos. Unde probamus ? Quia fratres oderunt, quia cum offenduntur in Afris, separant se ab orbe terrarum quia non tolerant pro pace Christi quos infamant, et tolerant pro parte Donati quos damnant.